

Žanrovi hrvatskoga latiniteta

- upute i lektira -

Upute

Bodovanje	<p>1. kolokvij (16.IV.2020., Toma Arhiđakon, Petrović, Kunić): 20 bodova</p> <p>2. kolokvij (28.V.2020., Rogačić, Ilija Crijević, Ludovik Crijević, Kožičić Benja): 20 bodova</p> <p>Redovito dolaženje na nastavu: toleriraju se do 3 izostanka. Za svaki se daljnji izostanak od bodova ostvarenih na kolokvijiu oduzima 5 bodova.</p>
Uvjet za potpis	Pripremljenost za nastavu i izvršavanje tjednih zadataka. Ostvareno ukupno 20 bodova.
Ocjenjivanje	Ako je student stekao pravo na potpis, prijedlog ocjene oblikuje se na temelju rezultata na kolokvijima. Studenti nezadovoljni ocjenom mogu se najaviti i doći usmeno odgovarati u ispitnim terminima.
Materijali i obavijesti	https://www.hrstud.unizg.hr/predmet/zh/
Kontakt	Šime Demo (sdemo@hrstud.hr)

Toma Arhidakon

Historia Salonitana

Eo tempore misit Guncellus archiepiscopus nuntium ad Romanam sedem pro pallio postulando. E vestigio vero legatus Acontius misit litteras et nuntios, excessus archiepiscopi summo pontifici nuntiando. Dominus vero papa misit pallium ad manus legati, committens sibi, ut in causa archiepiscopi, sicut videretur, de iure procederet. Accepto siquidem papali mandato legatus pallium tradidit servandum cuidam abbati de Rogova, archiepiscopum vero ab omni pontificali suspendens officio, precepit ei, ut de suis satisfactorum excessibus apostolico se conspectui exhiberet. Tunc archiepiscopus dolens et anxius ad curiam est profectus. Comitati sunt eum: Vita diaconus, qui postea fuit primicerius, et Petrus, nepos Murigii, diaconus. Contra ipsum vero directus est Vulcasius. Pauci de canonicis fovebant archiepiscopum, plures et maiores erant contra eum. Itaque archiepiscopus Romam veniens proiecit se ad pedes domini Honorii pape lacrimabilem proponens querelam de infestatione legati. Sed dominus papa de omnibus excessibus archiepiscopi plene instructus, cepit eum multum dure increpare de insolentiis et temeritatibus suis. Archiepiscopus vero nitebatur excusare se, imponens Roberto consecratori suo, quasi ex ipsius mandato presumpsisset sine pallio pontificalia celebrare. Sed non satis sibi credebatur a papa. Cardinales fere omnes adversabantur ei, ita ut vix eorum auderet presentie comparere. Canonici vero qui eum fuerant comitati, videntes causam archiepiscopi fore gravissimam et quia depositionis notam iam conscripta erat contra eum, relinquentes ipsum in curia ad propria sunt reversi. Guncellus vero ibi remanens multa supplicatione pulsabat, ut de suis excessibus misericorditer ageretur. Tanta ergo fuit precum instantia, tam importunus labor, ut revocaretur prior sententia, et conscriberetur altera

mitior; videlicet ut biennio maneret suspensus, postea de misericordia sedis apostolice fieret in omnibus restitutus. Quod et factum est.

Interim vero legatus Acontius in Bosnam contra hereticos profectus, multo ibi tempore pro statu catholice fidei laboravit.

His temporibus factus est terremotus magnus et orribilis in die Nativitatis Domini circa horam tertiam, per Liguriam, Emiliam et per marchiam Veneticam, ita ut multa edificia ad terram ruerent, civitas vero Brixiana ex magna parte sui prostrata est multa que hominum multitudo et maxime hereticorum oppressa est et extincta.

Eodem anno in die assumptionis Dei Genitricis, cum essem Bononie in studio, vidi sanctum Franciscum predicantem in platea ante pallatium publicum, ubi tota pene civitas convenerat. Fuit autem exordium sermonis eius: angeli, homines, demones. De his enim tribus spiritibus rationalibus ita bene et diserte proposuit, ut multis litteratis, qui aderant, fieret admirationi non modice sermo hominis ydiote nec tamen ipse modum predicantis tenuit, sed quasi contionantis. Tota vero verborum eius discurrebat materies ad extinguendas inimicitias et ad pacis federa reformanda. Sordidus erat habitus, persona contemptibilis et facies indecora. Sed tantam Deus verbis illius contulit efficaciam, ut multe tribus nobilium, inter quas antiquarum inimiciarum furor immanis multa sanguinis effusione fuerat debachatus, ad pacis consilium reducerentur. Erga ipsum vero tam magna erat reverentia hominum et devotio, ut viri et mulieres in eum catervatim ruerent, satagentes vel fimbriam eius tangere, aut aliquid de paniculis eius auferre.

[Martyres Salonitani]

Tertia Vita S. Domnii (per D. Farlatum edita)

Domnii Archiepiscopi Salonitani Christi martyris vitam scripturus, non immerito a parentibus ordiatur: quoniam per eos non solum natus, sed & reuatum fuisse constat. Theodosius igitur Antiochiæ urbis colonus, natione Syrus, vir optimus, diuitiis plenus, & morum probitate insignis, attamen colendorum deorum errore implicatus, de Mygdonia Græca uxore filium hunc suscepit. Petro autem Apostolo Antiochenam regente ecclesiam, & Christum prædicante credidit, abdicatoque idolorum cultu, una cum conjugē sua, atque filio baptizatur. Sed Domnii, accepto baptismo, licet puer adhuc septennis annis, diuinitus inspiratus, & jam Christi amore feruens, parentes dereliquit, & Apostolum secutus est. Non ille ad diuitias, sicut mox hæres futurus erat, non ad patris, atque matris blandimenta respexit: sed contemptis omnibus, eas diuitias quærere decreuit, quas neque tinea corrumpere, neque fur auferre possit.

Domniius
Antiochiæ
natus,

baptizatus
a Petro
cum Pa-
rentibus.

Discipulus ergo Petri factus, breui & Magistro suo, & condiscipulis c. Pancratio, atque d. Apollinari (qui postea Ravenna Episcopus fuit) carissimus evasit. Deinde vero Petrus, Antiochenis hominibus jam ad fidem receptis, cum iisdem discipulis Romam versus profectus est; miseratus, urbem,

toto provinciarum orbe dominam, Idolorum, & Diaboli subditam esse servituti. Interim dum iter ageret, quocumque divertii contigisset, religionem audacter, & intrepide prædicabant. Fidelis itaque prædicationis officio sollicitè fungentes, peragrarunt c. Casaream, Sebasten, Cappadociam, Galatiam, Pontum, Bithyniam, Ephesum, Pathmos, Athenas, demum ad ostia Tyberina applicuere, urbemque ingressi sunt, ubi Petrus multis jam ad fidem Christi conversis, alias quoque partes orbis terræ ab erroris perniciæ liberare cupiens, Pancratium destinavit in Siciliam, Apollinarem Ravennam, Domnium Salonas, sui quemque loci Episcopum constituens. Domniius igitur, postquam satis prospero cursu mare emensus Salonas devenit, Christi que mysteria publice, ac palam exponere cepit; plerique, & veritatis argumentis, & magnitudine miraculorum permoti, contemptis Idolis, Christo adhesere credentes; quos Domniius de proximo flumine aqua hausta baptizabat.

e
f
Romam
venit, &

Episcopus
Salonam
misit.

Tunc quidam Pyrgus nomine, Philosophum se profitens, sed magis sophismatum, captiuncularumque argutiis, quam Philosophiæ deditus, virum aggressus, & quasi veritati comparari (posset) mendacium, nititur ostendere, an quoque ex Philosophiæ inventis unum Deum esse credi possit, & ab ipso mentem deditam, & genitam, ac deinde ipsam mundi animam: proinde ac si Trinitatis mysterium, quod a Domnio prædicabatur, & ipse ut audierat, teneret. Caterum, cum Trinitatem hanc ad Unitatem substantiæ referendam didicisset, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse unum Deum; qualiter videlicet se haberet, quoniam ratione comprehendere non poterat, veluti deliramenta despexit.

Cum Pyrgo arroganti Philosopho disputat.

Srednjovjekovni natpisi

[Natpis u povodu smrti kralja Dmitra Zvonimira, 1089.]

Gemitum quis poterit gentis retinere

Cum hanc turbam viderit fletu flendam vere?

Nam hac in caligine iubar requiescit,

Excelsa de semine quam mire torpescit.

Cuius nunquam mors evera dirre potest pandi

Propter atra scelera populi nephandi.

Mentes suas ad ima rabidi flexerunt

Et nece durissima regem perimerunt,

Robustarum virium bracchio potentem,

Pium Svonimirum, immense pudentem,

Qui clipeus fuerat pro eis in hostes,

Terere consueverat inimici postes.

Flete iam proceres principem honorum,

Senes atque puberes terre Crovatorum.

Nam regni solemnica prima, que fuere,

Nunc honor et gloria simulque ruere.

Juraj Šižgorić

Elegia de Sibenicensis agri uastatione

Credebam post multa mei mala fata uigoris
Denique iam fatis uiuere posse bonis.
Interdum celum nimbis agitur et auris,
Interdum radiis ornat Apollo suis.
Non mutat scaeuas in me fortuna sagittas;
Me miserum semper, fors mala, quid crucias?
Sapphica credebam iam leto condere cantu
Te, pulcher, Musis, Phoebe, fauente meis.
Nunc elegos iterum cogor cantare dolentes
Et premor, a! lacrimis protinus ipse meis.
Non fato similes habeo, fortuna, poetas,
Qui cecinere elegos corde gemente malos.
Delia, te cultus cantat, formosa, Tibullus
Et dolet ingratas semper habere faces.
Non erat ille dolor uatis sine uulnere ceco,
Attamen ille dolor plenus amoris erat.
Naso, pulsus eras patria cariturus, amicis,
Sollatio multo, coniuge et ipse tua.
Ille dolor cunctos uincebat, Naso, dolores,

Quem uincit certe nunc meus iste dolor.
Praetereo fratres crudeli morte peremptos,
Quos fleuit misero nostra querella sono,
Et taceo multos, qui me pressere, dolores;
Me miserum semper, fors mala, quid crucias?
Hei mihi, nunc doleo patrios uastarier agros
Factaque Christicolis maxima probra uiris.
Ista mei luctus et magni causa doloris,
Et superat querulos nostra querella modos.
Est genus inuisum cunctis in partibus orbis,
Turcorum semper perfida turba fuit.
Viuit et hic populus Maomethis lege nephanda,
Gens Alcorano credit et ipsa suo.
Est tamen huic generi fas ille uel ille cupido,
Fas Veneris crimen, fas Ganymedis amor.
Lex uetat his semper feruentis pocula Bacchi,
Saepe tamen uino turba sepulta iacet.
Lex data, ne porcis utatur turba prophanis,
Foedior est porcis Turchia turba tamen.
Dedita perpetuo et sceuo gens dedita bello,
Vnica spes ferrum, parmula, cuspis, equus.
Gens inimica sacras ardescit perdere leges,

Quas deus electis fixit in orbe suis.
Conqueror, antiquam uicit Bizantion urbem,
Foedauit Graiam sanguine Turcus humum.
Lesboas Turcus superauit perfidus arces,
Plurima sub diro continet arua iugo.
Nuper et innumeram conflauerat equore classem,
Qualem non Xerxes duxerat in Danaos.
Pugnauit bombis et muros Aulidis altos
Fregit et in tota profluit urbe cruor.
Dicere si uellem, quot uicit regna, quot urbes,
Deficeret carmen deficerentque dies.
Turcus adest patrie, patrios populetur ut agros,
Et Sibenicas frangere pergit opes.
Cernebam Turcos alta de turre furentes
In patrios iuuenes in patriosque uiros.
Certe ego ueloces cursus mirabar equorum
Hastarumque minas barbaricumque dolum
Motaque per uarios uexilla rubentia uentos
Saepius et uidi candida signa trahi.
Pulchra iuuenta furens scutum portabat et ensem
Pro patria pugnans pro domibusque suis.
Currebatque simul cum fundis rustica pubes

Praestoque cum tellis aduena miles erat.
Pugnabant patrii, dirus pugnabat et hostis,
Plurima sunt Turcis uulnera fixa uiris.
Ter conatus erat nostras inuadere turmas,
Ter nostris Turcus Martia terga dedit.
Ad sua festinat compulsus uerbere castra
Noster ager Turco milite plenus erat.
Impius ille furens uillas dedit ignibus omnes
In cinerem uersa est rustica tota domus.
Aruaque cum teneris alte surgentia spicis
Ieiunis potuit iam dare Turcus equis.
Totaque cum folio florentis uinea Bacchi
Esca fuit capto maxima facta gregi.
Vulcanoque datur preclare Palladis arbor,
Vel facit umbrosas cesa Minerua domos.
Protinus et capiunt multos iuuenesque senesque,
Captaque cum natis uillica multa fuit.
Verbera uel patitur captus uel uincula suffert,
Captaque sed Venerem passa iuuenta fuit.
Nec dubitant alii diuum foedare figuras,
Hei mihi, nec sacre numina fixa cruci.
Numine nec uero panem timuere sacratum,

Sunt data fumosis denique templa focus.
Carmine quo flebo? Faciam quid, patria dulcis?
 Quidue miser faciam, tuque sacrata fides?
Est mea mens tanto nimium, queror, egra dolore,
 Rumpuntur fletu pectora nostra graui.
Cogor Apollineum uates deponere plectrum
 Et gladium nostra stringere posse manu.
Consultus ponam numerosa uolumina iuris
 Et clypeum capiam Marte fauente mihi.
Pro te, sacra fides, et, dulcis patria, pro te
 Sit mea barbaricis dedita uita uiris!
Pro te me uoueo, pro te mea pectora trado
 Et morior pro te uulnera sceua ferens.

Vice Petrović

In obitu uxoris, quae decessit 5. Non. Jul. ante horam 3.

pomeridianam an. Sal. 1743., elegia

Siccine dividimur, vita mihi carior Uxor.

Morte tua nostrum dissociante thorum?

Siccine me miserum, nunquam relictura, relinquis

Me miserum, et Natos, pignora cara, tuos?

5. Non te Bactra tenent, non me nunc ultima Thule,

Longius est spatium, nos quod abesse facit.

Nunc mihi, nunc cantum ventosque, amnesque morantem,

Nunc cuperem auditas Manibus esse fides.

Non summo ut faciam quercus descendere ab Aemo;

10. Aut stare immotas voce canentis aves.

Sed carae ut repetam fugientem conjugis Umbram

Nunc prece, nunc cythara consociante preces

Irem audax (amor ipse facem praeferret eunti)

Plena tenebrarum per loca, plena metus.

15. Atque aliquis miserans maesta de gente silentum,

Quos olim simili vulnere stravit amor,

Ostendens procul Elysium, loca laeta piorum,

"Quam petis, ille tenet", diceret, "ille locus".

Non me, non novies Styx interfusa teneret

20. Viminea et novies trajicienda rate.

Non fera vipereo terreret crine Megaera,

Majestas Stygii non truculenta Jovis.

Forsan et ille pius lacrymas ad verba precantis

Funderet, et reditum Conjugis annueret.

25. Quid loquor ah! demens? non est revocabilis ultra,

Trasvecta est Stygios quae semel Umbra lacus.

Non redit ad fontem, quae fontem deserit unda,

Nec reflorescunt, quae cecidere, rosae.

Ergo, quod est miseris reliquum solumque levamen,

30. Quo lever, heu! superest nil nisi flere mihi,

Nil nisi flere meos, saevissima vulnera, casus,

Dum cineri uxoris jungar et ipse cinis.

Vix afflicta Domus geminati insignia luctus

Exuerat, madidas non bene sicca genas:

35. Ecce cadit saevae jam tertia victima Morti

Uxor, vulneribus victima caesa tribus.

Non fuit illa tibi communi lege necanda,

Impia Mors, plagis percutienda fuit.

Cuncta tui in miseram consumpsti tela furoris,

40. In sola haeserunt sed tua tela cute.

Membra malis cessere, animus fuit altior illis,

Tu fragilis victrix corporis, ille tui.

Saepe opus igne fuit, ferroque; ullumne dolentis

Inter eas poenas edidit illa sonum?

45. Num viso extimuit ferro, ingemuitve recepto?

Non patiens gemitum sed miser ipse dabam.

Ah! chalybe immiti languentis caesa rigabat

Membra cruor: lacrymis non maduere genae.

Num, quando monita est, momenta novissima vitae

50. Instare, et celeri jam properare gradu?

Scilicet hos animos illi mens inscia noxae,

Inque Deum pietas, et proba vita dabat,

Hos amor in miseros, miseris intenta iuvandis,

Clausa sibi, reliquis semper aperta manus:

55. Et vigil in Natos cura, et studium acre tuendae

In nivea morum simplicitate domus:

Et tormenta per haec candentis atrocia ferri,

Quae toties visa est sustinuisse libens,

Posthuma vitandi tormenta, piantia Manes,

60. Spes prope certa, sibi si qua pianda forent.

Hos animos etiam illa dabant, quae pectore forti

Ex gemina amissa vulnere prole tulit.

O Superi, quantum vidit maeroris amari,

Et quantum vidit roboris illa dies!

65. Quae caruere genae lacrymis, et questibus ora?

Fundere nec lacrymas visa, nec illa queri.

Exuerat Matrem coram, Matrem intus agebat,

Non se, sed miserum commiserata Virum.

Dotibus his tantis quid nunc bona corporis addam?

70. Quid cultum ingenuis artibus ingenium?

Quid quam dulce melos manabat ab ore loquentis,

In quo opifex mellis fecerat ipsa favos?

Talem fata mihi rapuere, immitia fata,

Consortem thalami, subsidiumque mei.

75. Post duo dilectae crudelia funera prolis,

Praesto illa, auxilium quae mihi ferret, erat.

Tota videbatur gens esse superstes in illa

Nullaque, ea salva, membra recisa Domus.

Nec me illa omnino miserum solante putabam,

80. Illa levamen erat flentis, et illa comes.

Decrescit siquidem fidas diffusus in aures

Luctus, ut in rivis secta fit unda minor.

Adde alios casus, et quae mala plurima passus,

Insontem invidiae vi superante, fui:
85. Nunc mihi fraude mala jus libertatis ademptum,
Nunc raptae, parcus quas dabat usus, opes.
Dum tu aderas, uxor, felix dicebar, eramque,
Nil nocuit telis sors mihi saeva suis.
Vim mala perdebant in dulci conjugis ore,
90. Et quam tu, poterant aspera fata minus.
Cui querar infelix? cui nunc mea tristia dicam?
Quae lacrymas posthac terget amica manus?
Cuncta, illa rapta, rapuit manus invida Parcae,
Unde afflicta malis mens capiebat opem.
95. Nec, quia ter denos mecum una exegerit annos
Est mihi, ceu sero rapta, dolenda minus.
Ah! magis illa ligant, quorum est diuturnior usus,
Et plus, quae plus sunt nexa, dirempta dolent.
Sic tener, ac mollis ramo si ramus adhaesit,
100. Disjungas facili vincla novella manu.
Frangitur annosus, vel vix victusque gemensque
Alter ab amplexu solvitur alterius.
Nullaque sat longa est, quae desinit esse voluptas,
Et nulla est magno longa in amore mora.
105. Longa mora est tali mihi nunc uxore carenti,

Omnis mense dies longior, hora die est.
Quid moror ergo miser? cur non invisam relinquo
Lumina? cur te non, o mea vita, sequor?
Tu mihi dicebas, sine me nil dulce futurum,
110. Non si ipsum flueret nectar in ora, tibi.
Quo sola ergo fugis, comitem aspernata maritum?
In rapidos abeunt cur tua dicta Notos?
Sed non sola fugis: me tecum, ubicumque moraris,
Qui bene nos junxit, vivere cogit amor.
115. Una mei pars tecum abiit, minor altera mecum est,
Pars abiit melior, plena dolore manet.
Ast haec ipsa brevi tua post vestigia curret,
A majore nequit pars procul esse minor.
O volet illa dies, quae partes uniat ambas,
120. Meque addat comitem tempus in omne tibi!
Mors tua divisit, mea nos conjungat, et urna
Consociet, thalamus quos sociare nequit.

Jan Panonije

Epigrammata

De carminibus suis

Accipitrum et leporum si te repetita fatigat
 Fabella, Hispani respice vatis opus.
Invenies illic, toto quam saepe libello,
 Velox Marmarico, ludat in ore lepus.

De se ipso

Ille ego et haec cecini Dravum generatus ad altum,
 Perlege et haec, si quis cetera forte legis.

E Graeco

Nudus humum scandi, nudus terrae ima subibo,
 Quid frustra afflictor, nuda suprema videns?

De immutatione sui nominis

Joannes fueram, Janum quem pagina dicit,
 Admonitum ne te, lector amice, neges.
Non ego per fastum sprevi tam nobile nomen,

Quo nullum toto clarius orbe sonat.

Compulit invitum mutare vocabula, cum me
 Lavit in Aonio, flava Thalia, lacu.

Ad libros suos

Vos, Ovidi, Lucane, Maro, si forte potestis,
 Mutua praestetis bis mihi, quaeso, decem.
Cessatis? iam vos Saxo Iudaeus habebit,
 Qui servat magnae lintea iuncta viae.
Istic ignavi tineas et pascite mures,
 Nil opus est vestris nunc mihi carminibus.
Nunc mihi opus numis; quarto vos mense
videbo,
 Venerit interea si quid ab Hungaria.

In Iudaeum foeneratorem

Lucanum et iuncto pariter Nasone, Maronem,
 Redde mihi Iuda, seu mage tu Salomon.
Quid dubitas? ego tres olim tibi nempe libellos,
 Inspice si Iani chartula nomen habet.
Quis modus usurae? sortem, inquis, foenus adaequat.
 Si verum dicis, perfide, non redimo,

Hic pereant; tanti vix illos auctio vendet;

Insanit suamet pignora quisquis emit.

Laus Pannoniae

Quae legerent omnes, quondam dabat Itala tellus,

Nunc e Pannonia carmina missa legit.

Magna quidem nobis haec gloria; sed tibi maior,

Nobilis ingenio, patria facta, meo.

De Sclavinia

Pars ea Pannoniae, quae nunc Sclavinia fertur,

Pagos complures, oppida rara gerit.

Ad Guarinum Veronensem

Te precor, o nostri decus et nova gloria saeculi,

Qui calles linguas, docte Guarine, duas,

Quo iam tot fuimus sub praeceptore per annos;

Hospes ut in cena nunc meus esse velis.

Quam dedit Evandro laudem Tirynthius hospes,

Hanc dabis ipse mihi, si meus hospes eris.

Ad Ioannem archiepiscopum Strigoniensem

Quo tibi tot duros et luce et nocte labores,

O nunquam curis non agitate pater?

Hoc ave Caucasia est sine fine Promethea rodi,

Hoc fulcire humeris semper Atlanta polum.

Tamne iuvat nulla mentem requiete remitti,

Sic leve continuis insenuisse malis?

Nil est in terris, quod non aerumna fatiget,

Nec tua perpetuo membra adamante rigent.

Trux quondam Alcides, vagus et requievit Ulixes,

Credimus et dominum saepe vacare Iovem.

Si sapis, ex aliqua, tuus esto, parte, nec unquam

Sic aliis vivas, ut tibimet pereas.

De tectis per Ioannem archiepiscopum Strigoniensem instauratis

In cathedra Petri Paulo residente Secundo,

Tertius imperium dum Fridericus habet,

Haec instauravit Ioannes tecta Sacerdos,

Funditus obruerat quae prius ignis edax.

Pro quibus officiis aeternum vivat Olympo,

Sed postquam in terris vixerit ille diu.

Ad Iustinam

Mel, Iustina, meum, mea cara sororcula, quare

Missa remisisti, munera nostra, tibi?

Non ideo misi, quo te corrumpere vellem,

Sit procul a nobis hic, mea vita, furor.

Sed magis ut scires, quam te devotus amarem,

Vult aliquo nosci pignore castus amor.

Qualiter offensam valeas pensare, requiris?

Tu mihi fac mittas, ut nec ego accipiam.

De se quod amare coepisset

Quod mihi divino tu saepius ore solebas

Dicere, nunc, Michael, exitus ecce probat.

Haesimus, et totis concepimus ossibus ignem.

Concidit et tandem spiritus ille meus.

Cum te dementem dementia nostra vocabat,

Cum mox ridendo tu mihi risus eras.

Quare in amore rudi, doctissimus ipse, sodali,

Consilium, quaeso, confer et auxilium.

In superflua quaeritatem

Hoc unum semper quaeris: superetne Maronem

Tullius? an maior sit Cicerone Maro?

Nescio; verum illud belle scio, quod tibi nunquam

Est visus, Procopi, nec Maro, nec Cicero.

Rajmund Kunić

Epigrammata

Quid sibi propositum habeat in satyra scribenda

Humanas narro, vidi quascumque, libellis
Ipse meis, verso nomine, stultitias.
Sic famae parcens alienae, promere suevi
Quae nequeo tacito clausa tenere sinu.
Sic mihi ego prosum, saeculis prodesse futuris
Sic forsitan possum, certe equidem studeo.

Ad Quintum omnes fastidientem

Nemo placet tibi, Quinte, vicem sic reddis, opinor,
Quinte, parem cunctis, queis nihil ipse places.

In Quintum animo semper amoris causa suspenso

Quintus abest longe, nec possum dicere quonam
Fugerit; hoc possum dicere: Quintus abest.
Membra quidem hic video; qua mens in parte vagetur
Scit saevus miserum qui male vexat amor.

In contemptorem styli cultioris

Obscurum dicis, quod non intelligis, Aule;
Sic caecos media nox premit alta die.

De futili Varii iudicio in recentibus cum veteribus poetis comparandis

Vare, novos vates priscis quod vatibus aequas,
Prodis nempe tuum futile iudicium,
Nec quos collaudas fatuis scriptoribus addis,
Sed tibi laudator detrahis omne decus.

Cur non flendus ab Acca uxore vir mortuus

Morte viri ne fle, miserum nec dicito. Non est,
Crede mihi, qui te fugerit, Acca, miser.

Si uxor domina, ergo mancipium vir

Nempe tuam uxorem dominam tu, Postume, dicis.
Quid ni uxor dicat te tua mancipium?

In Glauciam interpellatorem

Cum Lyda veterum nactus me scripta legentem
Non sentis, quam sis, Glaucia, utriusque gravis?
Esse gravem sentis vel si te, Glaucia, utriusque,
Hic potes ingratas ducere, lente, moras?
Et longum torquere ambos? Tua plumbea dicta

Pro veterum et dictis oggerere aureolis?
Cede, malum, procul hinc, cede ocyus! Hosne silere,
Hosne viros patiar, Glaucia, teque loqui?

De durissimis Quinti carminibus

Aerato scribis calamo tua carmina, Quinte,
Carmina sed calamo sunt mage dura tuo.

In scriptorum Graecorum ac Latinorum contemptorem

Qui Grajos spernis scriptores atque Latinos,
Quid rerum scribas quaerere, Cinna, piget.
Scire sat est, quaequae scribas gravitate Latina
Scilicet ac Grajo cuncta carere sale.

In malum scriptorem, qui mirabatur a poeta decies Flaccum lectum fuisse

Miraris decies Flacci quod scripta relegi?
Miror ego legi quod tua scripta semel.

In praedicantem omnia se mire facturum, si velit

Nil se non mire facturum jactitat Aulus,
Si faceret: verum nil facit interea.

Quid possit, nescit; credit posse omnia, quorum,
Expertus, credo, crederet ille nihil.

Contemptorem contemnit

Cinna, tibi patior sperni mea carmina, sperni
Dum mihi iudicium tu patiare tuum.

De Aulo omnia ad numerum faciente

Nil non ad numerum facit Aulus, nil sine lege.
Ad normam incedit, stat, sedet, eloquitur.
Non sentit se, quod vult omni ex parte decere,
Idcirco haud quidquam sic facere, ut deceat.

Ad poetam versibus foeda tractantem

Dulcis amice, istaec odi tua carmina, foedam
Queis tractas ventris proluviem et crepitus.
Non pudet in turpi mentem versare latrina?
In merdis famam quaerere et ingenii?
Crede mihi, tandem scurrari desine, tandem
Quae deceant vatem verbaque, resque vide.
Ne tantum vili placeant tua scripta popello,
Coetibus ingenuis at male displiceant.

Ad Ursu foeda versibus canentem

Grandia qui magni vates cecinere, solemus
Nimirum vates dicere grandiloquos.
Dulcia qui modici vates cecinere, solemus
Nimirum vates dicere dulciloquos.
Quid si quis merdas humilis canit, ut facis, Urse?
Nonne decet vatem dicere merdiloquum?

In fatuum Petrarchae carminum contemptorem

Petrarcham torpere gelu; te ardere, Lycota,
Quo Phoebus vates concitat, igne putas?
Cujus ego soleo fatuos ridere furores,
Verborum et vanam spernere luxuriam,
Quem, mage quo passim succendere cuncta putas tu,
Hoc mage consuevi dicere frigidulum,
Et pictae similem flammae, quae gliscere visa
Nec quemquam incendit, nec calet ipsa tamen.
Talis Petrarcham spernas? Cui dulce canenti
Assurgunt Pindi e vertice Castalides,
Ardua quem celeri superantem nubila penna
Ipso stratus humi vix tu oculo sequeris.

In quemdam Horatiani carminis reprehensorem

Tantillus tantum haud dubitas reprehendere vatem,
Et Flacci carmen dicere frigidulum?
Nec metus est, Pindi sacro de vertice Musae

Ne te furcillis praecipitem ejicient?
Nec metus est, odio dignus, dignusque cachinnis
Alter ne dici Zoilus incipias?
Crede mihi, magnum tacitus mirare poetam,
Neu cycni cantum gracculus obstrepito.

In Quintum. Quare Leonilla secum officiosa sit

Quod coetu in magno venienti occurrit amice,
Quod solita est omnes dicere delicias,
Quod dextram dextrae jungit, quod blanda tuetur,
Quod prope complexu te, Leonilla, fovet;
Haec debes foedae, si nescis, Quinte, senectae.
Non faceret juveni quae facit illa seni.

De Lydae in summis laudibus modestia

Lyda potest omnes, quotquot sunt, ore puellas,
Lyda potest omnes vincere mente viros.
Sponte sua gaudet sed cedere Lyda puellis,
Sponte sua gaudet cedere Lyda viris.
Ergo illam, quoties vicit, victaeque puellae,
Et victi certant semper amare viri.

De Lydae in virtute constantia

Qualis Lyda die primo est mihi cognita, multas
Talem post messes, atque hyemes video.

Foemina, quod rebar fieri vix posse, virorum
Nullum constanti non animo aequiparat.
Ingenio et stabili mire omnes una refutat,
Queis leve foemineum dicitur esse genus.

De Lydae iudicio in probandis carminibus

Lydium ut ad lapidem spectato fidimus auro,
Fido ego carminibus quae tibi, Lyda, placent:
Quid deceat, quid non, mire nam cernis, acutum,
Quidquid inest vitii, nec latet ingenium,
Ut quaecumque probas queat ipsa probasse, videtur
Verax Phoebaeo Pythia de tripode.

De Lydae eadem iterum narrantis lepore

Fabula, cum primo narrasti, grata; secundo
Cum narras, eadem est fabula grata tamen.
Non res delectat mentem nova, sed tuus iste,
Iste tuus fantis, Lyda venusta, lepos.
Qui dum aderit, narra quidvis iterumque, iterumque:
Dicta quo decies dicta putare semel.

Adveniente rus Lyda

Ridet ager, subita capti dulcedine ludunt
Passim lanigeri lata per arva greges,
Laeta magis viridi late se gramine vestit,

Laeta magis vario flore renidet humus,
Laeta magis placidi circum fremit aura Favoni,
Laeta magis puro fulget ab axe dies.
Fallor an huc venit? ... non fallor: rura beata
Venit ad haec fausto jam mea Lyda pede.

Ad Lydam. Quae sit in scribendo novitas

Lyda, putas nihil esse novum quod scribimus. Aedem
Sic etiam nullam dixeris esse novam.
Quippe etenim ut struimus veterum nos dicta virorum,
Sic fabri antiquos cura struit lapides.
Quo fit: opus vetus est, operi nova forma novumque
Ipsam etiam, formam cui dedit auctor, opus.
Sic nova sunt, spero, mea carmina; sic novus iste
Sermo est, suavidico qui fluit ore tibi.

Ad Lydam, Dantis carmina legentem

Carmina cui Dantis tam sunt jucunda, virile
Condis foeminea sub facie ingenium.
Non te deliciae verborum, sed capit alti
Vis animi, rerum mirifica et series,
Pictaque tam vero quae scribit cunq̄ colore,
Ipsis te jures cuncta videre oculis.
Et visu horrescas, doleas, laetere, sub imam
Aut terram, aut sedes rapta per aetherias;
Haec capiunt te, Lyda, viris, pol, digna placere.

Blandum aliae cupidis auribus excipiunt,
Et solum clamant vatem versantque leguntque,
Et memori condunt mente Metastasium.

Ad Lydam

Quam sis grata mihi, didici te, Lyda, carendo,
Ipsi nam sine te sum mihi, Lyda, gravis,
Et caris, qui me visunt, stipatus amicis
Desertus videor, solus et esse mihi,
Nec, mihi cum solus secreta in sede relinquor,
Aoniis possum corda levare modis,
Non mi grandiloqui divinum carmen Homeri,
Romanae scriptor non sapit Iliadis.
Una juvas praesens animum: te denique visa,
Laeta oritur multa luce serena dies,
Mens viget, effundo carmen, de vertice Pindi
Venerit ut subito si mea Calliope.

Se, Lyda moerente, non posse carmen scribere

Quid tacitum increpitas? Te moesta, Lyda, putas me
Posse hilarem cantus fundere laetificos?
Non si me Ascraeo Phoebus pater incitet igni,
Castalio et mergat Calliopea lacu.
Vati sola potes tu ad carmina subdere calcar;
Lyda tibi canto, Lyda tibi sileo.

Riseris ut primum, discusso turbine, cantus
Incipiet rursus haec mea Musa suos.

Qua re nolit diutius laudare Lydam

Multa equidem scripsi de te, Lyda optima; praestat,
Nulla operae quando est gratia, desinere.
Omnia quae scripsi, veris majora putas tu,
Ast alii veris, Lyda, minora putant.
Sic, videor laudum quod prodigus et quod avarus,
Atque tibi, atque aliis, heu, male displiceo.

Ignjat Đurđević

Christo Domino nato, idillium

Betleo postquam iacuit deiectus in antro
Seclorum spes longa Puer Iesseaue circum
Tandem permissae plauserunt pascua sorti,
Continuo de rupe cava Nabatheus Himilcon
Obstupuit viso et tanti ad vestigia partus
Vultu pressit humum, fibrisque illapsus ab alto
Impetus et subito caluerunt pectora metu.
Tum canere exorsus: lymphae siluere loquenti
Et Boreae stetit aura, suas librata per ulmos
Audiit alituum soboles, dominique canentis
Herbarum immemores vocem excepere capellae.
Concine Bethlemiis mecum de cautibus Echo!
Qualis in horrentes Stygia ferrugine terras
Exspectate venis! Video, te prona salutant
Rura, tibi celsas motant nemora ardua fagos.
Concine Bethlemiis mecum de cautibus Echo!
At quid, terra parens, nascenti sternere cessas
Gratas veris opes et sacrum lambere corpus

Pallenti viola et luteolo amarantho?
Iamque, rabens Hyacinthe, rosae, capita ignea tandem
Tollite, et a molli pingatur caltha ligustro.
Sed cessa, nihil est nascenti numine dignum,
Et tua ab opposita sorderent munera forma.
Concine Bethlemiis etc.
Ah ne te rigidi perstringant flamine Cori,
Ah tibi ne teneros durum specus urgeat artus!
Te tangente tamen mollescent aspera saxa
Et parcent Cori, novit quoque Corus amare.
Concine etc.
Te veniente, puer, tandem meliore sereno
Instauret mundus faciem, pax emissa per orbem
Emicet, et placidos ensis curvatus in usus,
Sanguine quae tinxit, sulcet sola ductaque longam
In falcem gravidas populetur lancea messes.
Concine etc. 114
Audior; infensos iungit concordia mores:
Vitis amat corilum, tristes examina taxos,
Quercum oleae pingues, pallentes poma miricas;
Alludunt tygres pecori, mollesque iuencos
Lambens ursa fovet, tenero lupus accubat hedo.

Concine etc.

Iam gravibus stabulis cratique intexta salignae

Arida virga avido pecudum frondescit in ore,

Iamque exesa cavis et hiantia robora truncis

Deproperant hederæ triplici vestire corymbo.

Serpentum cunas saevique cubile draconis

Utro scena virens et arundine rauca sonanti

Ambit, et a nuda surgunt uligine iunci.

Concine etc.

Currite, pastores, per pascua tuta, recessit

Agnis herba nocens, seu vos movet herbidus Arnon

Seu Saron egelidus vel oliviferi Carmeli

Prata vel aestivis Hesebon pellucidus undis.

Concine etc.

Tanta mihi puero, memini, narrare solebat

Fatidicus Pelates, quo non prudentior alter

Ventorum insidias pluviaeque et grandinis atrae

Inspecta subitò luna praedicere motus.

Desine Bethlemiis mecum de cautibus Echo!

Iter ad antrum Bethlemiticum stylo Livii Andronici, poetae

vetustissimi iambici

Acurasso, ne mihi abusa sit via, grandibo gradus.

Vix queo, pape! oppido mi prae curriculo istactenus desudascitur,

Egomet iam gravastellus, nec meo immerito, cluo,

Defloccata canitudo et vires concipitatae meum itiner lamberant.

Inque tute, bucaeda bubsas, per tua te quaeso pecuda,

Sic ne te infelicare velit magnos Iovis, inque mihi ignaruri,

In qua domu puerum puera Puerpera peperit et lactem nato danit.

Atat, gemiti vox meas aureis batuit. Ellum! euax! ipsus est Diespiter,

Qui manceps humanum capital in specu suo cordolio luit.

Salve, mea lubentia, turturille; salve, passercule, columbule,

Mi lepus, mea monedula, mulse, mel, mellilla, mellinia,

Tu mepte dulcificas, o licessit mi tecum aevum agere,

Moriri nequitur ibus, qui tecum sedent.

Fungi sunt et buccones, bucculenti, eleborosi, blitei,

Qui mavolunt cunctare, nec hilari convenibunt te, o Deus ipsissime,

Ut labias isti tuo nidamento applicent et dorsa in curvedinem duint.

Egone me hinc aliquo abstulam? Nae cerritus, si id faxo, fuam.

Nam mea confirmitate autumo me, quod volupe est, a te impetrassere,

Mi decet te amplectier efflictim et contente, qui caelos amplectis manu.

Benedikt Rogaćić

De terraemotu, quo Epidaurus in Dalmatia an. MDCLXVII prostrata est, proseucticon

Inclite Regnantum, quo Lidia scepra tenente
Per populos laevam funestis cladibus ire
Fortunam haud querimur; quidquid temeraria namque
Illius incursu caeco violentia vertit,
Hoc tua res duras indignaque fata jacentum 5
Commiserans veteri Pietas in sede reponit.
Non secus, ac diro metuendum gentibus astro
Saturnum, Jovis excusat clementior ignis,
Et tristes radios acuentem in fulmina cogit,
Commodiore Venus flammâ mitescere Martem. 10
Nec modo munificus generosi hic pectoris ardor
Quas regit imperio gentes complectitur: exit
Latius, et manibus cum sole per omnia sparsis
Terrarum spatia, et marium, queis regia jura
Non reddit, populis, gaudet regalia dona 15
Mittere, quam titulis, meritis ingentior, et se

Dignum orbis probat imperio, dum consulit orbi.
Atque hoc Mediceae senos insignia gentis
Crediderim signare globos, Hetruria quamvis
Sufficiat sceptris, pietati angusta videri 20
Unius, immensi quamvis Pomaeria mundi:
Nec Macedum Regem victricia signa per orbem
Transque orbem magis extendisse capacia vota,
Cosmus magnanimum Heroum quam maximus Heros
Proferat egregias curas, et vota juvandi. 25
Fleverit extremo oceani se limite claudi
Vesanus juvenis, nec posse aperire triumphis
Quotquot Democriti sapientia cuderat orbis;
Hic contra sibi deesse locum, queriturque, creandis
Non quos invadat ferro, at quos vindicet auro 30
Defficientem operum naturam parcere, mundis.
Quod si, ceu perhibent sapientum pectora, primus
Naturam informem confusaque semina rerum
In speciem digessit Amor, rudibusque figuram
Concilians, dispersa ligans, male juncta resolvens, 35
Omnibus et formam reddens atque omnia Formae,

Jussit hanc rerum pulchram coalescere molem;
Qui tibi magnanimo, Princeps, sub pectore vivit
Ornandi meritos donis, inopesque fovendi,
Nec spatio finibus amor, neque fessus agendo, 40
Dignus erat certe naturam augere, Chaoque,
Si quis adhuc latet, eruere, et disponere mundum.
Verum age: nil opus est tam longe accersere magnis
Materiem meritis: adverso in littore surgit
(Quid loquor? Ah quondam, dum fata Deusque tulere, 45
Surgebat) maris Illiricas Epidaurus ad undas:
Urbs opibus, famaue ingens, contexere Pontum
Classibus, inque omnes commercia spargere gentes,
Nec minus ubertate soli, partuque virorum
Laeta, sui juris, nullique obnoxia sceptro. 50
Nunc vero (heu nulla invitis fiducia Divis!)
Turbine praecipiti labefacta, suisque sepulta
Ruderibus, spectaclum ipsis miserabile visu
Hostibus, immundo porrecta in pulvere sordet:
Et quoties fessum caelo caput, aegraque tollens 55
Lumina, tranquilla pelagi prospexit in undâ

Degenerem formam, et violati signa decoris,
Lucem odit, nimiumque levi cecidisse ruinâ
Conqueritur demens, et fata novissima poscit.
Scilicet instabili subsultans cardine tellus 60
(Seu meditatus iter Caelo vulcanius ardor
Impulit adversos obices: seu longa vetustas
Speluncas subter tophis pendentibus altas
Cum sonitu dedit in praeceps: seu spiritus omnem
Pervolitans naturam, alteque in membra receptas 65
Injustas furias rapido concepit ab aestu;
Seu caeli vis illa fuit) concussit ab imo
Impositas moles caeloque minantia vertens
Jussit in antiquum gremium descendere saxa.
Nec mora: deficiente solo, subducta labare 70
Fundamenta, quati turrets, ruere ardua pessum
Culmina, juncturae lapidum, et male fida resolvi
Tectorum coagmenta: It caelo pulveris atri
Jurata ardentem nubes extinguere Solem;
Urbsque diesque una pereunt. Confusus ad astra 75

Luctisono gemitu, atque immensae murmure stragis
Erigitur fragor: et potuisti tu quoque forsan,
Magnanime o Princeps, solio sublimis ab alto
Immanem nostrae sonitum exaudire ruinae.
Quo sonitu attoniti fugere a littore fluctus 80
Quaeque leves choreas tunc forte in gurgite summo
Ducebant ludo Iliricae Nereides, imas
Auribus oclclisis, trepidae absiliere sub undas.
Ipse etiam strepitum advertens Neptunus ab alto
Ingemuit pater, et carae ne cerneret urbis 85
Infandum excidium, medio caput aequore mersit.
Proh superi! quae tunc nobis (horresco revolvens
[Nec sola sat firma, et rursum trepidare videntur]
Omnia) deprensas tantâ in vertigine rerum
Mens, animusque fuit! Capiti labentia tecta
Exitium crudele ferunt: rimosa fatiscit 90
Sub pedibus tellus: pavidas fragor attonat aures
Lucem oculis caligo, fugam eripere ruinae.
Nulla salus: urgente malo circum undique septi,
Capti oculis animisque altum descendere caelum

Credidimus, verti nobiscum elementa, perire 95
Naturam, et Mundi in nihilum partem esse ruentis
Nec timuisse quidem licuit: praesentia lethi
Abstulerat sensus: hinc desperatio lucis,
Projectusque dies, nulla ore, aut pectore vota: 100
Tantum altus stupor, inque vicem formidinis horror.

Marko Marulić

Dauidias

Dauidis memorare pii gesta inclyta regis
Instituto. Quis nunc dignas in carmina uires
Suppeditet? Non Cyrrheę de uertice rupis
Descendens lauroque caput přinctus Apollo,
Non Nyseę numen, furiata mente Lyęus,
Pieridumque chorus. Nam non ego dicere Troię
Excidium Thebasue paro nec sparsa cruore
Thessala Romano bellis ciuilibus arua,
Sed cęlo cognatum opus arcanisque sacratum
Mysteriis. Quorum qui solus crederis autor,
Solus, magne deus, mihi iam cantanda ministres.
Gens quondam Iudea potens opibusque uirisque,
Orbe sub Eoo residens, non inscia uereę
Religionis erat; ritus moremque sacrorum
Edidicit monstrante deo, referentibus ipsis
E cęlo afflatis certissima queęque prophetis.
Hinc unum celebrare deum, uirtute creata

Cuius cuncta forent, coepit, terramque polumque
Qui regat et sensus cunctis uitamque ministret.
Quos uero gentes alię populique colebant,
Hos non esse deos, sed prorsus demonas ipsos,
Quorum homines capti iam pridem fraudibus errant
Vix numeranda suis uenerantes numina uotis.
Ergo Iudaicę primus moderamina gentis
Ciso natus Saul et regni scepra tenebat,
Non recto officio nixus nec legibus eşquis,
Quum Samuel uates dictis mordacibus illum
Aggrediens et facta deo non grata reuoluens
Hęc responsa dedit: "Quoniam tibi certa Tonantis
Iussa sequi nulli fuerit post talia cureę,
Isto te indignum, quo te dignatus honore est,
Censuit atque alium, regni cui tradat habenas,
Iam sibi prospexit successoremque regendo
Constituit populo, notum pietate fideque,
Quanquam humili de plebe uirum. Sed sanguinis omnes
Exuperat tenebras cum laudum lumine uirtus.
Hęc effatus abit moestum tristemque relinquens

Iam Saulem et multa perculsum pectora cura.
At quia continuo tali pro crimine poena
Non inflicta fuit, iussus rex perdere gentem
Amalechitarum, rursus mandata reliquit,
Rursum iussa dei temnens seruauit Agagum,
Victor commisso captum certamine regem,
Illius armentis etiam pecorique pepercit.

Ruđer Bošković

De Solis ac Lunae defectibus

Cur quondam aethereas Titan sine nube per auras
Dum micat et puro respergit lumine terras,
Praetexat subita nitidos ferrugine vultus
Impatiensque morae fuscis Nox prodeat alis
Atra die medio stellasque inducat Olympo;
Cur, sudo dum laeta nitet Latonia coelo,
Nunc tenebris condant caput et nunc sanguine multo
Inficiat frontem, Latiis memorare Camoenis
Aggrediar penitusque imas educere causas.
Tu mihi, qui Arcadico, aethereo qui summus Olympo,
Phoebe, nites, naturae aditus tu pande repostos
Divinumque immitte jubar, tu suffice venam
Te dignam! Tua res agitur, seu lumina terris
Ipse neges, solita seu fraudes luce sororem.
Tuque adeo Aonias inter mihi maxima divas,
Uranie, terras quae dedignata jacentes
Alta petis cursu et caput inter sidera condis,
Huc ades atque tuum facilis ne desere vatem!

(...)

Praeterea globulus, rubicundae stamina lucis
Flectere qui medium evaleat delata per axem,
Obliquis illapssa viis reliqua omnia flectet.
Majora haec etenim vicium intervalla requirunt
Perque globum obliquo tendit quae semita calle,
Est brevior, medio quam qui traducitur axis.
At contra medium globulus deducta per axem
Vix potis est violae qui languida flectere fila,
Nulla parte sui reliquos inflectere fucos
Et circum aeriis poterit dispergere campis.
Corporis hinc radius liquidi per viscera si se
Tramite perspicuo tulerit, cui mole minuti
Occurrant varia globuli partemque reflectant,
Semper plura viam mutabunt tristia fila,
Quae referunt violam, ardenti quam tincta rubore
Caeruleique adeo praebebit forma coloris
Se tibi reflexo spectandam in lumine; contra
Transmissum lumen sensim flavescet eundo.
Quin et longa satis post intervalla viarum
Stamina jam violae quondam jamque Indica ferme
Deficiunt, magna distracta e parte, viretque

Reflexum jubar ac transmissum sanguine fervet.
Est alta aequoreas quam mos demittere in undas
Machina: conclusas gremio premit aeris auras
Nequicquam inferne conata irrumperè lympha.
Hinc inde insertis crystallus pura fenestris
Admittit Phoebi radios pontumque coeracet.
Ipsa suo moles stat pondere tuta; sub imo
Piscator gremio sedet ac vitalibus auris
Vescitur et conchas seu dura corallia carpit
Sive rates fundo mersas rimatur et aurum
Extrahit ac vectas peregrino e littore merces.

Ilija Crijević

Carmina

Fratri Francisco pro poetica

Si quibus humanae cognata poetica menti
Contigit, aethereis est sedibus insita seque
Cēlitus esse probat, pariter mentisque sui que
Auctorem testata Deum, quis munera diuum
Insimulet, Francisce? Quis arguat aetheris alti
Particulam et caelo quicquid bacchamur ab alto?
Quis rudis, ignarus, simplex, mysteria nescit
Summo uestra polo manare et amoris inuri
Corpus in humanum diuini uulnera? Quorum
Franciscus ueram faciem monumentaque gestat
Quae uolucer depinxit Amor; nam uulnere caeco
Saucia mens pariter corpus consauciat ipsum
Inque uicem patitur contagia corporis aegri.
An, rogo, fatidicis mens est aliunde Sibyllis
Praescia uenturi et priscis exorta prophetis?
Aut alio uates de fonte uenire putandum est
Et sacros animum mentemque haurire poetas?
Nam si crimen erit cantare et pangere carmen,

Cur Moses paeana canit per hyantia uictor
Aequora transgressus, medio discrimine ponti
Fissilis et sicco noua per diuortia limo
Perque intercisis nudatum fluctibus isthmon?
Cur, inquam, populi detracti e faucibus hostis
Carmina uicinus persultat ouantia dulci
Nectare tam facilis tentoria pascere Syon?
Quis puer exultat per uasta incendia et inter
Ludit anhelantes inadusto corpore flammis
Exarmatque ardore faces piceosque furores
Temperat et iustos fornace absoluit alumnos
Aethereum triplici modulantes carmine Regem?
Quorum obmutescunt concentibus omnia miris
Naulia, sambucae, nec uox interstrepit ulla,
Aut interpellat pubem medio igne canoram,
Non clangore tubae, non ausis hiscere bombis.
Nam quid adulterii commissa piacula dicam,
Caedis et adiectum facinus per carmina solui,
Dauiticasque preces per iambos supplice cantu
Currere? Quid tenero lasciuas pollice cordas
Foemineasque faces et mystica uulnera regis
Aut decantatos referam Salomonis amores?

Caetera quid referam tot uatum oracula sacram
E caelo spirare fidem per carmina? Vates
Sic Hieremia canit recutitae immania gentis
Portendi scelera et casus instare supremos
Carnifici populo et longe uentura suorum
Praeuenit excidia praesago et praecoce luctu.
Non secus Emanuel, »Nobiscum numen«, et ipse
Virginei partus praesagia uersibus edit,
Aetheris et summi mysteria pandit Esaias
Totque alii uates Superum responsa canoris
Spirauere modis per amica poemata caelo.
Ipsa etiam Genitrix, maris inscia, Voce marita
Viscera casta grauis, Verbo desponsa iugali,
Laetitiam prodit per carmina, quae sibi subter
Pusio concaeptus caeci sinuamine dictat
Ventris et exultat materna per ora profari
Anticipatque suos uagitus carmine dulci.
Argumentosus dices fortasse: »Nec artem
Culpo, sed artificem seu quisquis adulterat artem.«
Nos etiam culpamus idem. Mihi peccat abusus
Artificis pariter; neque enim, deluditur ullus
Si medicus, medicina rea est. Damnanda uidetur

Nec mihi relligio iurataque regula si quis
Delirat collega tuus pede deuia uarro
Sectatus pronisque ruens ambagibus, ut fit,
Mille ueneficia et magicas tentauerit artes.
Contemplator aquas, sunt muneris omnia quarum,
Vt persaepe ruant immane frementibus undis
Dilluuioque suo segetes, armenta, colonos,
Omnibus exitio confundant omnia passim;
Non tamen iccirco nobis inamabilis unda est
Singula cuius ope et potu recreantur amoeno.
Ignotum brutis animantibus inque repertum
Nonne uides ignem? Primus qui more ferarum
Pallantem lustris hominem sociauit in unum,
Primus inhumano detersit saecula uictu,
Cuius opis studia et mores artesque magistrae,
Paulatim hinc etiam felix opulentia nec non
Tot bona fluxerunt, tot rerum commoda: seu quis
Aedificat, terram seu uomere, classibus aequor
Proscindit, frustra studio conatus inani
Deficit ignis inops, flammaram immunis et expers.
Qui tamen excoluit gentes hominemque poliuit,
Syluestrem et cultu uitam meliore refinxit

Squallentesque situs aeui spoliauit inertis,
Saepe uides docilem confundere sacra profanis,
Vrbibus et sanctis inferre incendia templis
Sacrilegumque ignem uiolare altaria diuum
Exitioque frui. Quod si tibi fabula mendax
Quid Phaethontaeus tulerit flagrantior ignis,
Saltem arsura docent supremis omnia flammis
Fata quod exitium terris mundoque minantur.
Non tamen inuisos ignes damnamus et usu
Carnificem flammam nostro interdiciamus; immo
Nostra uiuit ope atque alimenta per arida gliscit
Ardor et instaurat rediuiuas fomite uires.
Cum passim uideas elementum impune foueri,
Nec fraudi aut uitio est, nisi si quis abutitur igne.
Tu quoque, Cyrnaeas si forte poetica taxos
Mella uides redolere, fauos nec protinus omnes
Nec Siculum nectar damnabis et Attica mella.
Quod si materies promiscua peccat, habenda
Num rea Calliope est, hominum diuumque uoluptas?
Num si Trinacrias, Acheloia monstra, uolucres
Sirenasque truces fugitamus ut acre uenenum,
Non minus et caeli nobis innoxia Siren

Declinanda, melos aut suaue nouemplicis aethrae
Nec dulces Musas et amabile carmen amemus?
Cur igitur Christi Franciscus dogma secutus
Vt moribundus olor supremo in funere fertur
Nescio quos cecinisse modos? Nanque ipse Redemptor
Et mundi precium, propiora piacula Christus
Discipulos inter cantatis praeuenit hymnis.
Idem Opifex rerum, Sapientia summa, probare
Cuncta iubet, meliora sequi. Quis grata recuset
Propter apes mella? Aut pomaria stultus ob inter
Currentem spinam Pestique rosaria damnet?
Nonne maritali cernis cum compare dulci
Tristia et alternare uices per mutua? Verum,
Lydius ut lapis, hoc ratio discernit ab illo,
Atque subaeratum puro discriminat auro.
Deprauari igitur quid mirum singula nec non
In Chaos antiquum rursus confusa reuerti,
Si non delectus melioris et optio fiat?

Hymnus in Archangelum Gabrielem

Christe, cui praepes Gabriel ministrat,
Pulcher et fortis, Tua Virgo Mater
Cuius aspectum stupuit micare
Fulguris instar,
Virginem castam genialis auspex
Dum maritali sociat pudenter
Voce caelestemque hymenaea cantat
Pronuba lingua,
Mox ubi uenter tumuit pudicus,
Virginis seruat decus integellum,
Casta quo mater famulante mansit
Vindice casto.
Ergo sit quamuis numerandus omnes
Angelos inter iubar ut secundum,
Vindicat primum decus hic tuendae
Virginis almae.
Notus in caelo angelus et Geennae
Horror, adsertis metuendus astris,
Acer et belli furialis ultor,
Qui prope fulget

Ordinem primum, Michaelis arma
Principis iuxta, uiget et Tuorum
Militum non ultimus et decorus
Laude secunda.
Pro Tua felix pietate uictor,
Qui Tui laetus meminit triumpho
Teque uictorem cecinisse ouanti
Carmine gaudet.
Saepius nobis, precor, hunc recursu
Nuntium salutifero remittas,
Nostra ut accessu propiore semper
Vota secundet;
Sit Tibi laus ingenito parenti,
Sit coequali genitoque Christo,
Sit Tibi compar utriusque semper,
Spiritus almae!

Ludovik Crijević Tuberon

Commentarii de temporibus suis

Rhacusani ad Vuladislauum regem legatos expediunt; Rhacusanae urbis origo et fata recensentur.

Iam Vuladislauus uidebatur apud Hungaros aliqua ex parte regiam assecutus esse maiestatem. Itaque multae exterae nationes aut renouandae ueteris amicitiae gratia, aut nouae instituendae ad eum mittunt oratores. Igitur Rhacusana ciuitas, uetus et fida Hungarici regni socia, postea quam per pacatum magna ex parte Pannoniae agrum, per quem ex Dalmatia Budam uersus erat pergendum, iter tutius quam antea esse accaepit, haud oblita officii sui misit cum donis ad Vuladislauum legatos, qui ei de regno Vngariae ad se delato gratularentur, amicitiamque cum eo instaurarent, atque antiquas societatis leges, interposita eius auctoritate, confirmari peterent. Rhacusani a rege comiter excepti, omnibusque quae postulauerant impetratis, munifice insuper donati ad suos remissi sunt.

Caeterum, Rhacusanae ciuitatis admonitus mentione, quae quidem ciuitas Dalmatici nominis hac tempestate longe opulentissima est, aliquantisper a suscepto excedam negotio, repetamque eius urbis primordia, et quemadmodum ea tandem, una cum reliqua Dalmatia, in Hungarorum regum concesserit ditionem aperiam. Nec equidem aut fabulas ab aliis confictas sequar, aut ipse nouas componam, per studium huius urbis

clariore origine nobilitandae — quum nulla prorsus ciuitati a re militari abhorrenti solique mercaturae deditae dari possit nobilitas — uerum omnia uel ex uero hausta, uel quam simillima ueri in medium proferam, sequens imprimis Docleatem authorem, qui incolumi adhuc Doclea, nobili Dalmatiae urbe, Slouinorum res excidiumque Epidauri, et originem Rhacusanae urbis commemorauit. Quae quidem scripta, licet essent uetustissima specie, quum ad manus meas peruenere, non tamen adeo multorum annorum tabe corrupta erant, ut legi non possent. Sed neque hanc digressionem nimis alienam existimari uelim, quum res Rhacusanae cum Hungaris, utpote ueteribus sociis, haud absurde possint coniungi.

Memoriae proditum est Sarracenos, Arabicam gentem, quondam ex Sicilia, quam armis magna ex parte iam occuparant, ingenti classe ad litora Dalmatiae praedandi studio delatos, urbemque Epidaurum, Slouinorum armis iam fractam, ui coepisse, ferroque atque igni funditus euertisse, ciuibus subito atque improviso malo percussis, dum Epidaurii Slouinum terra oppugnantem uix sustinentes noui insuper hostis insperato aduentu terrentur, nec, Slouinis eodem tempore terra, Sarracenis mari urbem agredientibus, resistere queunt. Post Epidauri excidium, Sarraceno multis cladibus reliquae quoque Dalmatiae illatis Hadriaticum relinquente sinum, Epidaurii ciues, qui forte aut mercaturis, ut fit, rem quaerendo a domo tunc abfuerant, aut fuga inter tumultum elapsi hostiles uitauerant manus, ad instaurandam patriam sese conuertunt. Verum a Slouinis, regionum accolis,

Transistrana gente, non solum id facere prohibiti, sed etiam in seruitutem pene redacti sunt, dum barbari et per se Epidauriis infesti tantae cladis reliquias, ueluti naufragia quaedam a fortuna obiecta, sibi uendicare nituntur. Tandem cum sacerdotis cuiusdam Epidaurii, cuius nomen non traditur, praecibus, qui et ipse patrio forte superfuerat excidio (coeperant enim iam Slauini quoque, licet nondum sacris nostris initiati, Christianam admirari religionem ob illius seculi sanctitatem: nempe illis temporibus Christiani sacerdotes cultui diuino summopere dediti erant, uitaque eorum et mores consumati omnes gentes ad religionem suscipiendam maxime alliciebant), tum per pactionem pendendi annui tributi a seruitute liberati, Burnum, oppidum Epidaurii agri a Slouinis aliquot ante annis deletum, ipsorum Slouinorum permissu incolere coeperunt.

Turcarum mores describuntur.

Nec mirum est Turcas tantum imperium breui adeptos esse, quandoquidem praeter Christianorum quum desidiam tum discordiam, quae maxime hostili nos iniuriae exponit, his sunt praediti moribus, quos sane, modo non obstat Dei uoluntas, imperium neccessario subsequi solet. Etenim genus hominum est laboris, inediae, uigiliae, aestus, algoris tolerantissimum, animi ad omnia pericula, et ipsam mortem subeundam pro gloria et regis sui amplitudine promptissimi. Vitam parcam ac duram, atque ab omni alienam luxu ducunt. Maior anni pars aut sub dio, aut sub tabernaculis fronde seu culmo intectis

agitur, atque quum iter faciunt, uel in expeditionibus sunt, si sol aestius feruet, aut imber inceserit, eadem penula ex subcoactis confecta equum pariter et dominum protegit.

Cibus his simplex ac parabilis est, potus lac aut purus, ut fere et caeteris Machometanis, fontium liquor, uel, cum genio indulgent, melle conditus. Nulla apud eos ars aut disciplina in maiore habetur precio, quam quae decertanti usui esse potest, atque iccirco sagittandi atque equitandi peritissimi sunt. Tanta his belli inest gerendi cupiditas, ut grauius fere ocium quam morbum ferant. Hostibus superatis nihil sibi arrogant, sed totum Deo acceptum referunt. Si forte, ut saepe fit, uincuntur, suae in Deum impietati aduersam adscribunt fortunam. Et quum apud eos nulli sit dedecori paupertas, neque diuitiae neque generis uetustas quempiam honestiorem reddunt. Quem quisque sibi armis et uirtute splendorem parauit, eo satis clarus est, atque iccirco ad gloriam augendam maiorum nobilitatem nemo desiderat. Hospitalitatem adeo sanctam habent, ut cum quo semel cibum sumpsere, eum uel hostem factum atque in acie occurrentem uiolare nefas putent, existimantes etiam in quolibet dissidio ius amicitiae haud esse spernendum.

Šimun Kožičić Benja

De Croatiae desolatione oratio

Si animis vestris excidisse crederem quod longa satis et miserabili oratione praedixisse me recolo, uberiori nunc lachrymarum torrente subsequutam Croatiae desolationem prosequerer. Verum quoniam hodierna haec dies de priori illa iudicium faciet, legationis huius munus detrectare non debui, quandoquidem et ad te veni, pater beatissime, qui benignissime alias me audistis, et tuam, Deus optime maxime, causam ago, cuius misericordiam supplex imploro ut et mihi dicendi copiam et Leoni pontifici nostro maximo hisque patribus calamitates nostras intelligendi et providendi promptitudinem largiaris. Fregepanum familia, si generis antiquitatem inspicimus, nobilissima, si res domi militiaeque gestas percurrimus, clarissima semper extitit. Ex ea tamquam faecundissimo quodam seminario dignissimi in omni vita viri prodire. Quorum qui domi claruerint nemo est qui scire non possit si perquirere libet. Ex his autem qui lustrandi studio et Romani nominis propagandi causa Italia egressi sunt, devotissimi Sanctitatis Tuae et Sacrosanctae Sedis apostolicae filii Bernardinus, Ioannes, Nicolaus et Michael descendere. Quorum res gestas et merita, quoniam vitali adhuc aura perfruuntur, silentio involvam. Quantae tamen maiores eorum pietatis religionis et auctoritatis fuerint, non ab re erit pauca commemorasse.

Federicus et Bartholomeus Fregepanes Belam Vngarorum Regem anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto campestri praelio a Tartaris profligatum, regno deinde expulsum et ad maritima latibula fugientem (quo tempore Veglia insula potiebantur) benignissime excaeperunt et viginti quattuor auri atque argenti facti marcharum millibus donaverunt. Quo auxilio ille se suosque colligens adiuvantibus maxime Fregepanum copiis Tartarorum rabiem repressit eorumque imperatore et multis millibus una acie caesis amissum paulo post regnum recuperavit. Ioannes Bernardini proavus Sigismundo tunc Ungarorum Regi (quo tempore triceps illud Schisma vigeat) quadraginta duo ducatorum millia mutuo dedit. Qua pecunia adiutus Sigismundus innumeras fere ad rempublicam Christianam ex voto componendam impensas fecit, perniciosissimum schisma extinxit et eam qua nunc quoque fruimini pacem uobis comparavit.